by R. F[illegible] & S. C[illegible]



James J Bell

A monsieur Desjardins,
témoignage de respectueux dévoûment.
R françois L. Carlier

TRIBULATIONS
DU CIGARE
ET
DE LA PIPE

PARIS
IMPRIMERIE POITEVIN ET COMPAGNIE
2, RUE DAMIETTE, 2
—
1861

TRIBULATIONS

DU CIGARE

ET

DE LA PIPE

PARIS

IMPRIMERIE POITEVIN ET COMPAGNIE

2, RUE DAMIETTE, 2

1861

Ces vers ont été lus au banquet de la Saint-Charlemagne
du Lycée Bonaparte, le 26 Janvier 1861.

TRIBULATIONS

DU CIGARE

ET

DE LA PIPE

Fortè vià ibamus nostras quæ circuit ædes,
Colloquioque levi recreabat amicus amicum,
Quùm subitò offensis sese objecêre tabaccum
Tortile sub pedibus (vox nota est gallica vobis),
Gypseus et tubulus; stupefactas perculit aures
Ingens lamentum..... ; tristes par nobile casus
Alternis narrabat : amant alterna querelæ.

LE CIGARE.

O miseros juvenes ! ò tempora nescia recti!

LA PIPE.

Quis, puer, indomitas tantus dolor excitat iras?
Eia age, fare, precor; mentem mortalia tangunt.

LE CIGARE.

Horresco referens : penitùs mihi tortile corpus
Infremit et muto facit indignatio vocem.
Quàm fido juvenes me complectantur amore,
Et quantâ teneras recreem dulcedine mentes,
Nota tibi ; et pueros trahit ad me blanda voluptas,
Ignoscenda quidem, sciret si ignoscere sæva
Gens præceptorum : sceleratas accipe, quæso,
Insidias fœdosque dolos ; nunc crimine ab uno
Disce genus ; tantæne piis doctoribus iræ !
Est locus, Havræas fauces cognomine dicunt.
(Havræum si nomen iit tibi fortè per aures)
Ancipiti anfractu, statio tutissima alumnis.
Jucundas hìc turba moras tardo ordine nectit,
Itque reditque viam et fallit sermonibus horas,
Deliciisque meis fruitur secura juventus.
Me meminisse juvat : juvenum tunc quisque clientum,
Cui vitreum lumen contractâ fronte micabat,
Annis ille puer, sed vir præcocibus ausis.

Ornatus patrio petaso, jam trossulus, ibat;
Ipse vaporabam tironi insertus in ore,
Addebamque novum decus insolitosque lepores.
Quàm fortuna levis, quantumque in rebus inane!
Heu! venit atra dies et ineluctabile tempus!
Hic juvenum festiva cohors, custode remoto,
Libertate ferox, gratissima dona tabacci
Carpebat soliti et lætum adspirabat odorem.
Ecce repentè ruis fumosa per agmina magno
Impete, censoris tu prime vicarie: cernis
Nec toleras speciem furiato pectore; gressus
Acceleras rapidos; latè nova flamma relucet
Quattuor ex oculis. Extemplò præpete cursu
Diffugère omnes, sequitur sed pœna fugatos:
Namque novas rapidis pedibus furor addidit alas,
Et pensorum amor atque odium crudele tabacci,
Multiplicemque putes instare fugacibus hostem.
Nil juvêre doli, nil mixtus turbine fumus;
Multos in latebris, incendia vana vomentes
Corripit, infandum! complexus et angit inhærens
Multa obluctantes nequidquam et multa volentes
Dicere, et exstinctos vehementer comprimit ignes.
At fortè extremus si quis super halitus errat,

Ore legit repetitque graves pro crimine pœnas.
Atque indignato nostrum pede calcat honorem.
Quin etiam, indicium sceleris, dùm colligit ignes,
Sævit in absentes, nunquam satiatus, alumnos.
Nec satis exsilium longum nec dedecus ingens!
Custodem mihi contigerat deludere sævum
Cerbereos que oculos, quùm grandis epistola venit
Ingenti immanis signo subscripta Ministri.
Crudeli imperio me custos acrior urget,
Atque juventutis proscribor publicus hostis!
In te mandato si quis sæviret atroci,
Res toleranda quidem, nec magni ponderis esset:
Agrestes recreare datur tibi sola potestas.
Urbanosve pares agrestibus.....

LA PIPE

..... Improbe, nomen
Ne contemne meum: melioribus utere verbis:
Nos (antiqua loquor) quondam sapientior ævo
Gens meliore tulit; nostros numerare labores.
Quanta procellosæ fuerint discrimina vitæ,
Longiùs: at duris parta experientia rebus.
Nempè (fatebor enim) varium et mutabile semper

Me genus hoc juvenum tibi posthabuère, rudesque
Crasso dedecorem labro imposuère coloni.
Sed vel in urbe tenax, multis accepta palatis,
Nunc vigeo; quin te si tanta superbia cepit
Hanc coluisse domum et tanto regnâsse Lycæo,
Ipsa ego trans ripas benè noti fluminis, ipsa
Non unum lætâ tenui ditione Lycæum.
Haud ignara mali, pronâ te mente dolentem
Audivi; libeat similes expromere sensus,
Et nostras audire vices, blandosque triumphos
Dum fortuna fuit, subitique opprobria fati.
 Quà patet antiqui doctum conclave Lycæi,
Antrum immane fuit, vastó submota recessu
Cella, referta libris, quà, trunco innixa Maroni,
Carpebam ignotâ longam sub nocte quietem.
Aspice : plura latent, quæ lex prodire tenebris
Cellarum invidiosa vetat; sed munera nostra
Illicitis licitisque favent; perfunditur antro
Dulcis odor; suavis redolet Gradus, ipse tabacco
Suavis Alexander redolet, musasque recentes
Divinum pro ture juvat spirare tabaccum.
Hic tacito cultu me gens benè nota petebat,
Et vicibus certis furtiva per ora meabam.

Queis ego tradebam, vitaï lampada, flammas.
Sed quæ sæva tibi mihi non fortuna pepercit.
Non potui, infelix, vigiles latuisse magistros,
Et longam juvenum spem custodita fefelli.
Nec satis : attonitas nunc perculit insuper aures
Nuntius, atque novâ trepidant formidine corda.
Non ego jam fractis meliùs confidere rebus
Sustineo ; variâ crudelis epistola curâ
Jactatam exagitat stimulisque sequacibus urget.
At vos, noster amor, nigrantia tecta, valete !
Tu valeas, optata quies ; valeatis, amici !
Non ego vos posthàc scholicis impunè diebus
Avertam dociles, frustrà revocante magistro,
Nec morbi specie mea carpere dona licebit.
    Vos tamen, heu ! fugiens fido comitabor amore :
Ite, novum affectate decus, nova quærite famæ
Præmia ; jam sine me laudum vos pascite fumo !

LE CIGARE.

Nos igitur plorare simul, miscere querelas
Communique decet luctu communia flere.
Carceribus procul è doctis quos Sequana lambit
Ulteriore undâ, rigidi te jussa tyranni

Expellunt; ego præcipuè vetor ædibus istis.
Et mihi tempus adest nostris valedicere tectis!
Jamque vale, dilecta domus, præclara triumphis,
Victori totiès non inficianda patrono!
Vos ego, discipuli, mea magna potentia quondam,
Nunc desiderium, placidi ad solennia Martis
Prælia præcipites ducebam, et, dena Camœna,
Fortia Phœbeias afflabam in pectora vires.
Æternum expellor: juvenes, mea cura, valete!
Præmia dent vobis alii optatasque coronas,
Dent nostro sine præsidio victricia dona,
Nobilis egregiæ lauri vos protegat umbra!
Haud impunè quidem: tanto pro crimine pœnas
Nos sumpsisse decet; vindictam corde voluto:
Frenato insidam super ipsius ore magistri.

TOUS DEUX:

Audaces fortuna juvat! sic itur ad ora!
Ore magistrorum super insidamus uterque.

An sperata tamen benè cesserit ultio certant
Historici; haud nostrum tantas componere lites.
Fama refert veterem medicum impugnâsse tabaccum,
Verbosamque altâ, vulgo plaudente, cathædrâ
Explicuisse thesim; crebro sed pulveris haustu
Ipse tabaccei vocem damnabat iniquam,
Curabatque parùm, mediâ quod laude triumphi.
Discordi nasus pugnabat dissonus ori.
Sed satis est : vitreo fumantia pocula Baccho
Nos revocant, nec vina magis captiva poëtas
Vos audire sinunt; sed propinare magistris
Jam licet et meritum curis persolvere honorem :
Doctorum alma cohors, nostros attenta labores
Quæ fovet et palmas parat indefessa futuras.
Tu vigil excubiis qui protegis omnia, Censor
Sedule, ni forsan tibi sordent dona tabacci,
Accipe vota bonus, qui, nunc gravitate remotà,
Hîc propè concelebras communia festa sodalis.
Denique tu summam, quia maximus, accipe laudem
Alme pater, Rectorque hujus venerande Lycæi,
Qui studia et mensam sceptro regis usque paterno.

Doctrinam et lepidos felici fœdere mores
Consocians. Vos, discipuli, nova quærite semper
Præmia; majores sic assuevêre mereri.
Vestra, tabaccei nil pulveris indiga, vincet
Mens propriâ virtute ferox, solitisque triumphis :
Non tamen ista brevis vanescet gloria fumus !

Raymond FRANÇOIS et Louis CARLIER,

Élèves de Seconde au Lycée Bonaparte.